Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ultimâ Decembris.

M. LUDOVICO LEMERY, Doctore Medico, Præſide.

An qui morbos neglectâ Chimiæ cognitione oppugnant, verè Empirici?

A PRIMIS medicinæ incunabulis maximæ fuerunt inter medicos diſſenſiones, & controverſiæ; Et in eundem licet ſcopum omnes contenderent, preſentem conſervandi ſanitatem, abſentem reſtituendi, diverſis tamen viis contenderunt. Qui ſe ἐμπειρικοὺς ab experientiâ nominabant, inanem ac ſupervacuam eſſe abditarum, & obſcurarum cauſarum cognitionem aſſerebant; Quoniam naturam nulli præterquam ignavo inviam, aut invidam incomprehenſibilem eſſe falsò autumarent. Hinc factum eſt ut relictâ ratione ducem unam experientiam fuerint ſecuti. Methodici contrariam omninò viam ingreſſi neglectâ experientiâ in futilibus quæſtiunculis tempus omne conſumpſerunt; nec ab opere medici; ſed à dicendo logodædali facti, confictam confabulandi magis quam medendi artem fecerunt, innumeris diſquiſitionibus, & argutiolis medicinam deturparunt. Utriuſque ſectæ fautores inventis unice acquieverunt, non arti ſed artificibus ſtuduerunt, non rerum naturam inveſtigarunt, ſed authorum opiniones; & quominus quidquam invenirent, mutarent, aſſererent, deſererent, religioni duxerunt. Hinc ſocordiæ veterno ſcholæ facile infectæ ſunt, cum quilibet aſſentiri, quam indagare mallet; Hinc in arte medendi & medentum animis turpis ignorantiæ offuſa caligo. Dogmatici glorioſo medici titulo ſoli decorandi rationem ſimul cum experientiâ conjunxerunt, corporum naturam ſcrutati ſunt, cauſarum differentias expenderunt, & curationem per indicationes inſtituerunt. Hæc ſecta omnium ſane præſtantiſſima, novis ac præclaris in dies inventis illuſtrior evaſit. Hanc amplexari cuicunque animus eſt, Empiricorumque fugere catervam, is genuinas morbi cauſas inveniat, accuratas remediorum vires ac poteſtates inveſtiget; in quo poſtremo cardine olim ſudatum parum, ſcitum fere nihil, multum promiſſum, plurimum neglectum, expectatum dudum, & erratum ubique à veteribus fuit.

HALLUCINATI ſunt graviter qui naturam, ipſiuſque operationes quaſlibet ad calculum quatuor elementorum peripatheticorum, qualitatum, & complexionum in mixtione reſultantium revocarunt; Cumque ex imparitate, elementorumque duello omnes omnino infirmitates, & fomenta primigenia noſtræ mortalitatis deſcendere exiſtimarunt. Quid juvat vana hæc figmenta noſſe? Quæ incertas & obſcuras indicationes in curandis morbis exponere, atque per inanem quæſtionum exercitationem imbecillos multorum animos à rectâ praxeos ratione abducere ſolummodo apta nata ſunt. Mirum tamen quam ſuperſtitioſe ejuſmodi nugas antiquitatis veneratione colant qui paratis tantum incubant, & à populari nutu ſeu vilia mancipia pendent; vixque extra tritam ſemitam pedem ponere auſi, avitis in erroribus jamque inveteratis, & ad nepotes, proh dolor, tranſituris conſeneſcere amant, & immori. Naturam quotquot antecedentium adiere non excluſerunt adituros, ſed multum ex illâ operis reliquerunt & ſequentibus; proinde nec domini illi ſunt, ſed commilitones quos quemadmodum prorſus deſerere temerarii, ita & religioſe conſectari imbecilli profecto eſt animi; duces quoque non qui imperent, ſed præeant, nec niſi criticis audiendi auribus, etiam cum docuerint ediſcenda; potuerunt enim illi & neceſſaria reperire, niſi ſuperflua quæſiiſſent; & veſtigare utilia, ſi ſuperſediſſent futilibus. Naturæ ergo cognitioni totum ſe dedere medicus debet, experimentiſque ſedulò & coacervatim factis, iiſque è naturalis philoſophiæ penu depromptis morborum cauſas, remediorum facultates non levibus omninò conjecturis adumbrare, ſed mechanicâ veritate illuſtrare. Morbus fere omnis à fluidis; horum varia principia diligenter & accurate perſpicienda; ex quorum magnitudine, figurâ, ſibi invicem connexione, & motu diverſis pendent vel ſanitas, vel morbus. Eâdem philoſophandi ratione medicamentorum vires à propriâ etiam partium eſſentialium ſtructurâ, ac motu dependentes propius inſpiciendæ; quæ quilibet neglexerit, indicationes è morbis, morborumque cauſis elicere, & indicationibus ſatisfacere nequaquam poterit; medicinamque empiricorum more exercebit.

CHIMIA duplex, rudis una & barbara, pure experimentalis, certo quorumdam experimentorum numero fulta, ſolâque artificis ad opus chimicum facti manu indigens, qualis olim à veteribus exercebatur. Altera rationalis, mechanices, & veræ phiſices regulis ſubjecta, cujus ope nova quotidie cum ſucceſſu experimenta tentantur maxime neceſſaria, quibus mirabilis hæc ars de novo in dies illuſtratur. Hæc omnium medicinæ partium utiliſſima eſt medenti; quâ ſublatâ quem in aliis progreſſum faciat? Quæ in cæteris medicinæ partibus occurrunt contorta atque difficilia enodat & explicat, iiſque lumen affert maximum. Quid proderit medico partium ſolidarum ſitum ſtructuramque exteriorem in cadavere humano cognoviſſe? Ni chimiæ auxilio partium fluidarum ſtructuram interiorem, fermentationes diverſas, operandi modos perſpectos habuerit, cauſas nimirum præcipuas vitæ, atque functionum partium ſolidarum. Quid Botanicum juvabit extremas mundi plagas percurriſſe, plantas extraneas inveniſſe, nomina non ignoraſſe. Ni chimicâ arte harum poteſtates, atque facultates clarius evolvantur, & explicentur. Macrocoſmos, & microcoſmos vera ſunt & naturalia, ut vocant, laboratoria in quibus eædem quæ in arte facto peraguntur operationes; circulationes videlicet, ſublimationes, præcipitationes, filtrationes, diſtillationes, coagulationes, diſſolutiones, fermentationes & cætera id genus. Chimia corpora quæcumque quatuor conſtare principiis docet non unicâ eorum qui hæc acute invenerunt phantaſiâ, quod de aliis philoſophorum principiis plerumque affirmari poteſt, ſed per ſe & naturâ ſuâ exiſtentibus; quo pacto hæc in ſe invicem agant, quâve unumquodque motûs determinatione, ac figurâ polleat, declarat, operationibuſque iis omnino ſimilibus quæ in nobis perficiuntur; diverſos partium eſſentialium motus patefacit. Magiſterii ſulphuris operatio nitidam ac diſtinctam chilificationis, & ſanguificationis ideam ſubminiſtrat; non ſecus enim ac ſulphur cum ſale alkalino permixtum, quo rarefactum & attenuatum pluribus donatur ſuperficiebus, è flavo album, & ampliore partium diſſolutione rubrum evadit; ſic etiam alimenta colorem album, & tandem ulteriore fermentatione rubrum adipiſcuntur. Spiritus tartari ab oleo nigro per chartam emporeticam ſeparatio humorum ſecretionem per glandulas ſibi partium figurâ, ac diſpoſitione convenientes ſatis denotat; quæ tandem in nobis fiunt operationes, quæ ad perfectam chimicarum ſimilitudinem non accedant? Ex his legitimè vel malè in nobis peractis, pendent vel morbus vel ſanitas. Ad has itaque ſeriò attendat medicus; ſique in corpore humano non belle perficiantur, emendet & corrigat, ut chimicus in laboratorio. Nec abſimili ratione quâ chimicus, quid operationi ſuæ offecerit, facili negotio agnoſcit, medicus certis ac indubitatis rationalis chimiæ principiis inſtructus, morborum cauſas, medicamentorumque vires facilè deteget; novaque præſtantiſſimæ hujuſce artis beneficio indagabit remedia, quibus morbi olim incurabiles tutò ac jucunde feliciſſimis hiſce temporibus ſanabuntur. Hinc patet chimiæ neceſſitas; quam ſi quis poſtea acerbius & contumelioſius invehatur, audiam ut ægrum convicia facientem, cui vel phreneſis vel acuta febris meliorem ſui partem abſtulit, nec iraſcar, ſed miſerebor.

SALES cultri totidem, obvia quæque incidere & attenuare apti, particulis coaleſcunt rigidis, longis & acutis; pro diversâ cuſpidum figurâ, magnitudine, ac motu diverſas edunt actiones; alias videlicet ſal alkalinum, alias ſal acidum, alias volatile, alias fixum; alias eſſentiale. Salia in aquâ diſſolvuntur, & è liquore acido ſeſe ſenſim ſine ſenſu in poros matricum quarumdam terreſtrium implicante & inſinuante conficiuntur. Sulphur ſubſtantiâ conſtat ſubtili, dulci, unctuoſâ, ramoſâ, facile inflammabili, ſalia intricare idoneâ. Aqua particulis oblongis, teretibus, flexibilibus, in omnem partem mobilibus & inſtar anguillarum lubricis. Terra tandem irregulari atque craſſiori partium ſtructurâ. Baſis eſt fundamentum & adminiculum aliorum principiorum, hæc congregat; conjungit, iiſque ſoliditatem largitur. In ſtatu naturali hæc ita ſibi invicem cohærent principia in fluidis, ut ſulphureæ partes ramoſis ſuis figuris aliarum unionem foveant, eaſque intra textum ſuum recondant, detineant, involvant. Sicque ſalia non ſummo cum impetu ſed moderato motu concitata temperatam cruoris efferveſcentiam provocant, quam ſequitur benignus & ſalutaris calor, quo primum accenſo vita incipit, extincto deſinit. Hæc ubi conſentiens ad corporis incolumitatem partium eſſentialium coagmentatio à principio quodam vel externo, vel interno fuit diſſoluta, tunc motibus maxime diverſis exagitantur humores; vel enim eorum ſalia quaquaverſum impetuoſius commota, ſulphura nimis exaltant, obices quoſcunque deſtruunt, fermentationes immodicas cient, humores nimis diſſolvunt: vel craſſiore compage motuque exiguo donata ramoſis quibuſdam particulis facile involvuntur, in quarum anfractibus quem habebant motum deperdunt, particulis rigidis ſulphurum poros obſtruunt, materiæ ſubtilis horum antea particulas inſenſiles continuò exagitantis, iiſque fluiditatem conciliantis intromiſſioni obſtant; hinc humorum coagulatio. Duabus ab his cauſis ſolius artis chimicæ auxilio dignoſcendis morbi exoriuntur. Tribus potiſſimum viis medicamentorum facultates deprehenduntur. Analiſi, quâ patet quibus omnia fere corpora principiis conſtent. Medicamentorum cum animalium humoribus, aut liquoribus aliis analogis miſcellâ, quâ per comparationem, quos in nobis parere valeant effectus, dijudicare licet. Tandemque ſecundariis Peripatheticorum qualitatibus, iiſque præſertim quas guſtus ac odoratus denotat. Sic amarum ſalia probat acria ſulphuribus unita, attenuantia, maſſam ſanguineam paululum diſſolventia. Acidum ſalinas particulas, ſulphurum coagulationem ſæpius producentes, nimium humorum impetum ſedantes. Acre ſales aliquando acidos maxime commotos, aliquando alkalinos inæquali ſuperficie inhorreſcentes, partium figurâ ſulphura diſſolvere & attenuare aptos. Auſterum & acerbum acida quædam terræ partibus conſociata, humiditates ſuperfluas abſorbere, violentos nimis liquorum motus retardare idonea. Inſipidum & unctuoſum particulas aquoſas, & ſulphureas, ſalia involventes, nimiamque ſanguinis efferveſcentiam temperantes. Ex odore tandem quibus donentur medicamenta particulis, an fixis, an volatilibus facile diſtinguitur. Prætereà chimia quæ ſint in apponendis remediis inſtituendæ cautiones indicat; ubi erunt certi quidam evacuandi humores purgans medicamentum, aut potius menſtruum exhibebit, partium diſpoſitione humori diſſolvendo, & foras eliminando conveniens; hæcque tandem prudens magiſtra in omni laborum perfunctione medenti ducem ſe præbebit.

PER artem chimicam veteribus parum notam, Neotericis evidentem, ac divulgatam, noviſque continuò experimentis confirmatam, ſalutaris medicinæ profeſſio præcipuè nobis increvit. Nec niſi chimiæ benigno rore irrigata, ſi augurari fas eſt, ad ſummam unquam gloriam floreſcet. Divinus ſenex, fulgentiſſimum medicinæ lumen id agnoverat, nec abſque chimiæ ipſi non ignotæ auxilio morbidarum cauſarum notitiam aſſequi, ex iis indicationes educere, & convenientia reperire medicamenta unquam potuiſſet. Galenus ipſe alter ab Hippocrate medicinæ princeps chimiam, miramque ignis efficaciam laudibus celebravit; & licet ipſius tempore philoſophia naturalis ſeu chimia inter paucos arcano ſilentio occultaretur, hujus adipiſcendæ causâ tamen totam perluſtravit Ægyptum, ubi ars illa jam tum vigebat; plurimaque & rara ibidem accepit pharmaca, quibus in patriam redux fauſto cum ſucceſſu in curandis morbis uſus eſt. Idem ſenſerunt veteres quamplurimi inter quos Mathiolus neminem medicum abſolutum eſſe poſſe aſſeverat, imo ne mediocrem quidem qui in chimiâ non ſit exercitatus. Quot felici hocce ſæculo præſtantiſſimæ hujus artis ope inventa ſunt medicamenta? Quotve invenienda? Si quâ hactenus exculta fuit diligentiâ, eâdem in poſterum excolatur. Quanto demum nobis eſſe debent deſpectui & ludibrio, qui à verâ philoſophiâ & medicinæ veritate deflectentes, velut ebrii circa luridas deitates, & cæcitates in tenebris ceſpitant? Si quid medicinæ progreſſum morari, aut impedire valeat, ii ſunt præſertim flagitioſi homines, qui quam nec è primo quidem limine ſalutarunt artem chimicam, antiquiſſimam dominam calumniis infamare gloriantes; raró tamen, nec niſi caſu atque fortunâ morbos curant, & exhauſtis crudeliter miſerorum venis impune ſaginantur. Multa ſe ſcire jactant, imperiti licet, & velut manducato pomo vetito plane nudi, præterquam quod ſe ipſos apud ignaram plebem ſordidâ ſpe lucelli extollere, & famam aliquam, Heroſtrato ſimiles ex alieni nominis ruinâ aucupari didicerunt. Heu quàm à divino ſene, cujus ſequaces ſe eſſe gloriantur, diſcrepant? Is quippe ſapientiſſimus vir per literas Democrito ingenue fatetur ſe quantumvis jam ſenem ad artis medicæ ſummam non perveniſſe; hoſque libro 1°. de diætâ colit, atque dilaudat qui inveſtigare conati ſunt ſapientis naturæ arcana opera, additque quod immeritò ullus aliquis ipſorum reprehendatur, proptereà quod invenire non potuerit. Proh! Ubi majeſtas quâ fulgere debent medicinæ principes? Ubi decor? Ubi exiſtimatio? Jure cum Hippocrate affirmabimus medicinam omnium eſſe artium nobiliſſimam, ſed propter ignorantiam eorum qui eam male exercent, omnium eſſe viliſſimam.

Ergo qui neglectâ Chimiæ cognitione morbos oppugnant, verè ſunt Empirici.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Gilbertus Puylon.
M. Andræas Creſſé.
M. Armandus Joſephus Collot.

M. Philippus Caron, Chirurgiæ Profeſſor.
M. Ambroſius Nicolaus Chemineau, Scholarum Profeſſor.
M. Joannes Gelly.

M. Andræas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.
M. Ludovicus Poirier.

Proponebat Pariſiis EUSEBIUS ADRIANUS THUILLIER, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, è Regiâ ſcientiarum Academiâ. A. R. S. H. 1699.